



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

que dicerent ; quod quidem usque adeo verum est , ut reformidianis eis hoc crimen , ideoque , deinceps illas voces Mente preditum & animatum , adiicientibus , nulli posteriorum libri reperiantur , qui hanc veterem appendicem non habeant . Præterea de hoc quoque non beati Iulii , sed Apollinaris esse redarguitur , quod Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem aperte multa recitat , qua hac epistola continentur , eaque ceu prava refutet . Potest & aliunde conuinci , quod B. Iulii non sit . Aiunt enim actis Synodi Ephesinae sub B. Cyrillo insertam ; quod quidem aperte mentiuntur : nam nihil ibi in textu tale reperitur , sed alia quedam inserta est epistola velut a Iulio scripta , nec ipsa Iulii , sed Timothei , quemadmodum ex multis exemplaribus intelligi potest . Hæc Leontius pro defensione Iulii . Vide Baron. anno 352. num. 4. & aliquot sequentibus .

De duabus epistolis infra subsequentibus , quarum altera est Arianaorum ad Iulium , altera Iulii ad Arianos scripta , lectori utile simul ac gratum fore existimauimus , si quod de iis sentit Baronius , breuiter hic annotemus . Ex hac epistola quadam , inquit , anno 341. num. 59. Arianaorum nomine ad Iulium papam data , sed ut recte intuenti appareat , videtur esse ex his , quæ Socrates atque Sozomenus tradunt , confarcinata : nam quæ qualesve essent eadem Eusebianorum ad Iulium scripta , eiusdem Iulii litera ad eos redditæ , & ab Athanasio recitatæ , aperte significant : multa enim in illis desiderantur , quæ ex Iulii literis produntur ab iisdem scripta esse , compluraque inesse noscuntur aliter quam a Iulio relata sint , diuersisque cum ex nominibus , tum ex rebus prudens quisque indagator inueniet : ut merito eæ ipsæ , quæ ibidem habentur recitatæ , tunc a Iulio papa ad Arianos redditæ , eadem quoque suspicione laborent . Nam quæ vera & legitima sint literæ Iulii ad illos rescriptæ , Athanasius , qui eas verbatim descripsit , recitatque in secunda sua apologia , absque controversia villa declarat . Hæc Baronius præallegato loco .

EPISTOLA I.
INCREPATORIA IVLII PAPÆ I.
AD ORIENTALES EPISCOPOS
pro causis Athanasii , & excessibus contra
Romanam ecclesiam .

1. Quod soli Romano pontifici liceat generale Concilium cogere , & episcopos iudicare .
- II. Non oportet preter sententiam pontificis Romani Concilia celebrare , vel episcopos damnare .
- III. Ut accusatores & accusationes quas leges faculi non admittunt , repellantur .
- IV. Si quis episcopum præter auctoritatem sedis apostolice damnauerit , vel a sede expulerit , de gradu suo deiciatur , & excommunicetur ; & episcopi electi restituantur .